



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Conclusio XXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN

Mezentios, uel finxerūt Poetæ. Nam bonos ridet hodie, etiam Roma ipsa, imo Roma oīm maxime, in qua enim orbis Christiani parte, liberius ludūt, etiam in summos pontifices, q̄ in uera illa Babylone Roma: sed sat ista. Cum itaq; præter innumeros priuatos, etiam in sedibus suis habeat ecclesia doctissimos, si prudens uoluissē existimari illorum exemplo, & ipse tacerem. Sed præstat uel a stultis, a pueris, ab ebris ueritatē dici, q̄ omnino taceri, ut fiducia doctiorū & sapientium animosior fiat, ubi audiunt nos, rude uulgus tandem pro rei nimia indignitate clamare, sicut ait Christus. Si hī tacuerint, lapides clamabunt.

Ista itaq; præfatus, ad cōclusionem uenio. & primo de ea secundum sententiā, deinde secundū uerba seu sententiā aliorum. Igitur in hac cōclusionē nihil loquor de potestate iurisdictionis, quā infra sequente mox cōclusionē nego, & supra. xxij. & viij. idem negaui. Hanc enim potestatē illi ex ijs uerbis cōeperunt, de qua dico sicut dixi. Statuat Ecclesia alterā partem eius quæstionis & sequar libentissime, Cessent interim temerarij suorum somniorū assertores. Ego dubito & disputo, an habeant potestatem iurisdictionis in purgatoriū. Et quātum hucusq; lego & uideo, teneo negatiuam, paratus tenere affirmatiuā, postq̄ ecclesie sic placuerit. Interim hic loquor de potestate uirium non iurium, de potestate operandi nō imperādi, ut sit sensus, Papa nullā quidem habet potestatē in purgatorium, sicut nec ullus alius Pontifex. Si autem habet aliquam, talem certe habet, qualis sit & inferioribus participata. Hæc autē est, qua Papa & quilibet Christianus potest suffragari, orare, ieiunare, &c. pro animabus defunctis Papa generaliter, Episcopus particulariter, Christianus individualiter. Patet itaq; cōclusio uerissima. Sicut enim Papa una cū tota ecclesia suffragat̄ aniabus (quale fit in die oīm animarū) Ita quilibet Episcopus cum sua diocesi id facere potest (sicut fit in diebus, q̄s uocant cōmunes) & Curatus in sua parochia (sicut fit in exequijs & anniuersarijs) Et quilibet Christianus in sua deuotione. Aut ergo nega, suffragiū esse intercessionem, aut concede quemlibet prælatū cū suis subiectis posse suffragari animabus.

Hæc igitur puto non esse tam dubia, quam sunt audaces illi sermones de iurisdictione Ecclesie in purgatorium.

CONCLUSIO XXVI.

DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

Optime facit Papa quod nō potestate clauis (quā nullam habet) sed per modū suffragij, dat animabus remissionem.

NON credo necessariū, iterū protestari quid disputem, aut quid asseram. Sed cum nostro seculo sint tam zelosi HAERETICAE PRAVITATIS INQUISITORES, ut christianissime catholicas, ui conent ad hæresim adigere, opportunū fuerit sup singulis syllabis protestari. Nam quid aliud fecerint Ioan. Picus Mirandulanus, LAURENTIVS VALLA, Petrus Rauēnas, Ioan. Vesalia, & nouissime diebus istis IOANNES REUCHLIN, ATQVE IACOBVS STAPULENSIS, ut inuiti cogerentur, & bene sentiendo, male sentire, non facile uiderim, nisi qđ omiserint forte protestationē super singulis (ut dixi) syllabis, tanta est hodie in Ecclesia puerorum & effœminatorū tyrannis. Itaq; protestor denuo, duo in ista conclusione me facturum. Primum, de potestate clauium in purgatoriū disputare, & negatiuam probare, donec alius affirmatiuā melius pbet, Secundo, de modo illo suffragij inquirere.

Primum probosic.

Primo, per illam uulgatam Hostiensis rationem, uidelicet, Si clauis sese ad purgatoriū extenderent, possent euacuare purgatorium. Atq; crudelis esset Papa quod nō euacuat purgatorium

Hanc soluunt sic, Papa potest, sede nō debet euacuare, nisi sub sit iusta causa & rationabilis, ne aduersus iustitiam diuinā temere agat. Hanc frigidam & oscitantem solutionem, uix puto proferrent, nisi uel non aduerterent quid loquantur, uel inter uitulos marinos profundissime stertentes, se loqui arbitrarentur. Ita fit, ut ex uno absurdo dato, plura sequantur. Et ut ille ait, Septem mendacijs eget unum mendacium, ut uerum uideatur.

Igitur argumentū uix potuit robustius firmari, q̄ tali solutione. Quærimus enim, qđ tandem nomen erit huius causæ rationabilis? Constat aut, quod uel pro bello cōtra infideles, uel pro structura sacra, aut cōmuni, aliaue necessitate huius uitæ indulgentiæ donant. Sed nulla illarū tanta est, quin incomparabiliter maior sit Charitas, iustior & rationabilior. Si itaq; iustitia diuina nō offenditur, si propter corpora fideiū, & res eorū tuendas aut ppter in animatas fabricas, aut usum huius corruptibilis uitæ

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN

breuissimū, remittunt tot, quot uoluerit (etiā si omnes in eo numero cōprehendis, ut sic etiā euacuet purgatoriū) quāto magis nō offendit, si pro sancta charitate redimant omnes. Nisi forte iustitia diuina, tam est iniqua, aut forte melancholica, ut plus faueat Charitati in corpora & pecunias uiuentium, q̄ in animas tam egenas, exhibitæ. Maxime cū tanta res sit, succurrere animabus, ut fideles debeāt malle seruire Turcis & corporaliter occidi q̄ animas nō redimi. Si ergo p̄pter id quod minus est, infinitas, & forte per hoc ipsum omnes redimet, cur nō & propter id qd̄ maximū est (id est) Charitatem? Hic tamē ego illis angustia clausis consiliū dederim, ut dicāt causam rationabilem nullam esse posse, ut sic secure elabantur huic obiectioni. Et ita si Papa possit quo ad se, nō tamen potest, quo ad causam, quæ non esse potest.

Secundo, ipse stilus Papæ idem probat, in quo dicit, de iniunctis pœnitentijs. Manifestū est autē quod tantū donat, quantū sonat, & eo modo donat, quo sonat, ut sic Episcopus xl. Card. c. dies de iniunctis pœnitentijs, Ita Papa p̄sus oēs plenarie dies de eisdē iniunctis relaxat, sed purgatorijs pœnas nulla clauis iniūxit.

Hic uero bellus quidā somniator sic fabulatur. Quando Papa dicit, damus indulgentias oīm peccatorum de pœnitentiā iniuncta, intelligitur de pœna imposita per sacerdotem, Quando autem dicit, damus indulgentias oīm peccatorū, de quibus contriti & confessi fuerint, tunc non remittunt oblita uel ignorata. Quando uero dicit, damus remissionem oīm peccatorū, tunc euolaret, si moreretur. Et sic in manu Papæ est, quos uolet saluare, O furor. Vide pronuntiatorē hunc q̄ secure asserit, ac si oraculum ederet, Cui si dicerem, obsecro te, unde probabo hæc, si fuero iussus rationem reddere huius fidei: fortasse noua alia finget mendacia, quibus illa priora statuatur magna maioribus. Infelices Christiani, qui coguntur omnia audire, quæcunq; tandē nugari libuit ineptissimis hominibus. Ac si non haberemus ipsam scripturā, quā præcipiente Christo, populū doceremus, & tritici mensuram, nō lapparum & tribulorū cados illis tribueremus.

Inter cætera portēta, quæ hic suauissimus author fingit, id quoq; nobis audeat persuadere, quod in manu Papæ sit remittere, uel non remittere ignorata uel oblita, quasi nō sciat uniuersa Ecclesia, quod post omnē solutionem Papæ, cūctis fidelibus restet di-

DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

cere, Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me dñe. Et quod etiã bona opera nostra, cū Iob uereri oporteat, ne inueniãtur apud deũ horrenda peccata. At Clavis Ecclesiã, bona opera si sint mala corã deo nec ne, nescit, nec iudicat, multominus remittit. Secũdo procedit eius somniũ, ex laboriosa illa & inutili arte confitendi, imo desperandi & perdendi animas, qua huc usq; docti sumus, harenã numerare, id est singula peccata discutere, colligere, atq; ponderare, ad faciendã cõtritionem. Quod cū fecerimus, fit ut refiticemus uel cõcupiscentias uel odia, præteritorũ memoria, & dum conterimur de præteritis, noue peccamus. Aut certe si fiat optima cõtritio, sit tantũmodo uiolẽta, tristis, mereq; facticia, de metu pœnã simulata dũtaxat. Sic em̄ docemur peccata conteri, id est, ad impossibile, uel ad peius, conari.

Cum uera cõtritio sit incipienda a benignitate & beneficijs dei, præsertim a uulneribus Christi, ut homo ad sui ingrati tudinem, primo ueniat ex intuitu diuinã bonitatis, & ex illa in odium sui, ac amorẽ benignitatis dei. Tum fluent lachrymã, & odiet seipsum ex corde, citra tamen desperationẽ. Tum odiet peccatum, nõ propter pœnã, sed propter intuitũ bonitatis dei, qua inspecta conseruat, ne desperet, & sese ardentissime odiat, etiam cū gaudio. Sic dum fuerit unius peccati uera cõtritio, oĩm simul erit. Sic Ro. ij. Ignoras qđ benignitas dei te ad pœnitentiã adducit: O qđ multi id ignorant sancte Paule, etiã aliorũ Magistri. Sic in Numeris legimus, filios Israel nõ fuisse a serpentibus suis ignis liberatos per intuitũ & horrorem eorũ, sed potius auerso intuitu ab eis, & ad serpentem æneum (id est, Christum) conuerso. Item & ab Aegyptijs uisis territi sunt, sed dato eis dorso, mare trãseuntes saluati sunt. Ita sunt peccata nostra in uulnerato Christo, magis qđ in nostra conscientia tractanda. Illic enim mortua sunt, hic uiuunt. Alioquin si illorum carnificina seruãda est, fieret ut si quis subito ad mortem raperetur, nõ possit saluari, quia nõ habet tempus colligendi peccata. Sed habent quod hic dicant.

Quare ad commentũ illius Commentatoris dici potest, in oĩm remissione summi Pontificis, præsertim illa publica & coram Ecclesia (ut fit in uenijs) debet subintelligi ista clausula, de in iunctis pœnitentijs, siue sint peccata oblita, siue ignorata. Hęc enim ad forum ecclesiã non pertinent.

F

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN

Ortum est autem istud pelagus sermonū (ut mihi uidetur) ex quadā incuria inspiciendæ originis indulgentiæ. Nam tunc temporis quādo uigebant Canonēs pœnitentiales, magnū erat relaxare. iij. dies, post hoc cœperūt centū dari, deinde mille dies, tandē multa millia dierū, & anni, & annorū cētenaria & millenaria. Sic enim paulatim pcessit maior, ac maior largitas ueniarū. Post hęc, cœpit, septima pars oīm peccatorū remitti, Deinde tertia pars, Nouissime dimidia pars, ac sic peruentū est ad plenariā remissionem oīm peccatorū, ut satis pōt uideri adhuc in stationibus urbis Romæ. Quod si in primis gradibus intelligit pœnitētia iniuncta, certe & in plenaria remissionē intelligēda est.

Tertio, iterum stilus Papæ dicentis, per modū suffragij. Oportet eū diuersum esse modū suffragij, a modo potestatis. Quod si ipsi Papæ (sicut debemus) plus credemus, q̄ illis & nobis ipsis, patet nullā potestatem, sed suffragiū ualere in purgatoriū. Tutius est mihi cū Papa sentire, q̄ cum illis. Papa nō arrogat sibi potestatem, sed suffragiū sibi uendicat. Et satis miror, qua fiducia illi cōtra expressam prohibitionē c. Cum ex eo, plus audeant prædicari, q̄ in literis Papæ continetur, cum suffragij modus ibi solum cōtineatur. Quod si sic intelligunt, Non habet potestatem quidem iurisdictionis in purgatorium, sed tamen habet potestatem Clauium applicandi suffragia in illud. Hic dico & ego, qd hoc nemo negat, potestas applicandi siue suffragia, siue satisfactioes, siue laudes dei, prorsus est in manu summi Pontificis, Verum an illa potestas sic sit solius Papæ, ut non etiam aliorum Pontificū sit, ut cōclusionē præcedenti dictum est, uel quid, ego nondum intelligo in isto modo applicationis, in secunda parte huius cōclusionis dicam. Interim hanc primam prosequamur.

Quarto, & omniū fortissime, Christus non ambiguus, sed claris, apertis, rotundis uerbis dicit, Quodcunq; ligaueris super terram, ligatū erit & in cœlis, Et quodcunq; solueris super terram, solutū erit & in cœlis. Non frustra adiecit, super terrā, Alioquin nisi restringere uoluisset potestatem Clauium, satis fuerat dixisse, Quodcunq; solueris, solutū erit. Aut ergo Christus ut nugator superfluit uerbis, aut potestas Clauium solummodo est super terrā.

Sed hic o. bone deus, q̄ prompta est quorundā supersticio, qui sine scitu & sine uolūtate Papæ uolunt in his uerbis potestatem

DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

ei dare, ubi ipse suffragiū sibi usurpat duntaxat. Et cum sentirent hæc uerba Christi sibi fortiter resistere & errorem confutare, nō id egerunt, ut erroris patrociniū desererent, & uerbis Christi incorruptis sensum suum accommodarent, Sed e contra, uerba eius sensui suo corrupto accommodant & torquent, dicentes, illud Super terram, potest dupliciter construī. Vno modo, ut ad soluentem. Alio modo, ut ad soluendū pertineat. Et primo modo esse Christum intelligendū, scilicet, Quodcunq; Petrus, dum fuerit super terram, soluerit, solutū erit & in cœlis. Volentes forte, quod & si diabolū solueret (modo ipse soluens super terram sit) solutus erit in cœlo. Nam qui dicit, Quodcunq;, & nihil addit quo restringat, omnia certe solubilia esse ostendit. Nescio quibus uerbis hanc rudem & insulsam superstitionem, imo temeritatē infecer. Hieronymiano stomacho & eloquio dignus hic erat author, ut sanctorū uerborum Christi, tam audax uiolentia & corruptio uindicaretur. Et ut omittam grāmaticam, quæ uel sola potuit eos docere, non posse hunc eorum sensum istis uerbis stare, sed magis nouas dialecticas, q̄ uerā sequuntur grāmaticā.

Videntur isti eousq; sapuisse, quasi Christus timuerit, ne quando talis Petrus uel Papa foret, qui & mortuus uellet ligare & soluere, & ideo necessariū ei fuerit tam insignem mortuorū Pontificum ambitionem & tyrannidem præuenire ac prohibere, ne ligent aut ligant, nisi dum fuerint in uita & super terram. Et forte (ut tā dignos scripturæ interpretes digne laudemus) nec sine causa sic timuit Christus, ita uidelicet aliquando contingeret, ut mortuus Pontifex aliquid ligaret, & suus successor uiuus idem solueret. Tum fieret magnus error in cœlo, & Christus anxius ignoraret, cuius illorū approbaret officiū, ut qui temere permisisset utrisq; idem officiū, nec addiderit super terram, ut mortuus cōpesceretur. Si enim ita nō sapiunt, quid æstuant, quid laborant ostendere, quod super terrā, ad soluentem pertinet. Ecce uere aureū opusculū aurei doctotis, & aureis literis dignissimum, & ne nihil nō sit aureum, aureis discipulis tradendū, illis uidelicet, de quibus dicitur. Simulacra gentium aurū & argentum, oculos habentia & non uidentia &c. Recta uia isti incedunt contra Christum. Christus enim ideo addidit super terrā ne Pontifex, qui nō potest nisi super terram esse, præsumat id li-

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN

gare aut soluere, quod nō sit super terrā, uelut data opera, nostri temporis adultores fœdissimos præueniens & prohibens, qui inuito & recusanti Pontifici, regnum tradere incipiūt inferorū Hos S. Hieronymus pro suo feruore dixisset Theologos, id est, deum loquentes, eum autem puta, qui apud Vergiliū magnum uatibus inspirat furorem. Sed tamen agamus contra eos.

Primo, Si per hanc intelligentiā clauēs soluūt mortuos, ergo & ligant, quia utrinq; additur, Super terrā, dicens, Quodcunq; ligaueris super terrā, Ergo & hic oportet eadem industria & acmine nobis distingui, super terram dupliciter cōstrui. Vno modo, ut ad ligantem, Alio modo, ad ligandū pertineat, ut sic concludant nobis, Pontificem posse ligare sub terra in purgatorio, modo id curemus (opere uidelicet medicorū) ut id uiuus faciat, & dum fuerit super terrā. Nam mortuus nō posset ligare. Quod si ista prima pars uerborū Christi non recipit hanc torturam & uiolentam elusionem, ut ipsimet quantūlibet sint sine iudicio, afferunt, qua fronte audebunt alteri parti eam uim facere, cū sit simili schemate per omnia composita: nisi forte illis, more suo, omnia licuerit uniuocare & æquiuocare & amphibologifare & paralogifare, sicut libuerit & ubi libuerit. Dicunt ergo, quod super terrā, in prima parte pertinet ad ligandū, Sed in secunda parte pertinet ad soluentem, quando quidē & maiora monstra in sacris etiā literis inuexerunt, pro sua laudabili consuetudine.

Quare cum omnes negent, Clauēs posse ligare in purgatorio, necesse est negare, qđ possint soluere, cū sint illæ duæ potestates æquales, & æqualiter a Christo Ecclesiæ suę datæ. In hac sententia sunt quidā nō pessimi Iuristæ, an saniores ceteris, uiderint illi

Secundo, Ex ipsa antithesi, ista sententia etiā confutatur. Quia sicut in cœlis, utiq; ad soluendum in cœlis, respicit, ita super terram, ad soluendum super terram, respiciat oportet. Et rursus, in cœlis ad ligatum, Quare & super terram, ad ligatum referri debet. Vnde Christus uelut de industria, non dixit, Ego soluiam in cœlis, sed solutum erit in cœlis, ut si quis primo uerbo, scilicet, Quodcunq; solueris super terram, falsæ intelligentiæ calumniā quæreret, in sequente retunderetur, nec permetteretur ad soluendum aptare, quia solutum in cœlis, cogit certe intelligi, solutum in terra, non soluentem. Et ligatum in cœlis, cogit intelligi

non ligantem, sed ligatum in terra, aut saltem utrunq.

Tertio, Si clavis tenditur in purgatoriū, quid frustra laborat. Cur non tollunt uerbum suffragij: cur nō persuadent Pontifici, ut dicat per modū potestatis, & autoritate potius quam suffragio soluere & ligare. Quippe, Quodcūq; soluerit (tantū caueat ne sit mortuus) solutū erit. Quid nos obtundit uocabulo suffragij, quod nemo intelligit potestatem, sed omnes intercessionem.

Quin, amplius faciamus, & rogemus Papā, ut purgatoriū omnino tollat de rerū natura. Sic enim Clauēs ecclesiæ, etiā quo ad soluendū duntaxat, illuc sese extendunt, erit in manu eius totum purgatoriū. Quod probo sic, Det omnibus in illo existentibus remissionem plenariam. Secūdo, omnibus morituris Christianis eandem similiter det remissionem, Tunc certum erit, ut nullus in eo maneat, nullus in ipsum ueniat, omnes autem euolent & cesset purgatoriū. Debet autem id facere, & subest iustissima causa, scilicet charitas, que per omnia, super omnia, in omnibus quærenda. Nec cauendum est, quod iustitia diuina offendantur a charitate, ad quam potius ipsa nos urget. Quod cum factum fuerit, deponamus totū officium defunctorū, satis hodie molestum, & neglectum tamen, mutemusq; id in officia festiua

Quarto & ultimo, Si purgatorij pœna est castigatoria, & afflictiua, ut supra. v. Conclu. tunc certū est, eam nō posse solui potestate clauis. At non esse aliā, satis puto ex sufficienti diuisione patere. Paret itaq; prima pars huius Conclu. ac p hoc tota satis pbabiliter firmata, qd suffragiū, nō iurisditio intret purgatoriū

Secundū, scilicet Modus ille suffragij, & si non fuit a me positum, ut inquireretur, nec requirēt ad positiones meas, scire, quis aut qualis sit, tamen uolens exponā me in eo, quod iuste poterā omittere, ne uidear angulū quærere. salua semper mea protestatione, quod non meū, sed pontificis, imo Ecclesiastici forte Concilij sit statuere, quis sit ille modus. Meū est inquirere & disputare ac rationibus adductis, quid intelligā, aut nondū intelligam, indicare. Ergo duplici uia impenditur suffragium animabus.

Primo re ipsa & officio p̄sente, sicuti fit, cū sacerdos cū populo orat, ieiunat, sacrificat, aliq; facit nominata opera, pro nominatis animabus. De quo suffragio nullum dubiū est, quin uehementer profit, & redimat anīas, secundū quod deo uisum fuerit, &

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN

illæ meruerint secundū B. Augustinū. De isto superius dixi Conclu. præcedenti, qđ talem potestaté habet Episcopus specialiter, qualé Papa generaliter, Sed nō iurisdictionis, sed suffragij faciendi in purgatorium. De isto modo hic nō quæritur, ut notū est.

Secundo, impendit sine officio uel opere, sed mera iurisdictione per literas uel per uoces pronuntiata, Et id quoq; ex duobus thesauris. Primus est triumphatis Ecclesiæ, qui est meritū Christi & sanctorū eius, superabundātius q̄ debuerant merentiū. Et hunc esse relictum in Ecclesiā, ut hic remuneretur & compensetur, dicunt illi. Alter est militantis Ecclesiæ, ut sunt merita, bona opera uiuentium Christianorū, quæ habeat summus Pontifex in manu sua, applicare ea, uel pro satisfactione pœnitentiū, uel suffragio defunctorū, uel pro laude & gloria dei. Sic enim & ego aliquando & docui & scripsi, Papā tripliciter habere militantis Ecclesiæ merita in potestate. Primo, ut ea offerat deo pro satisfactione aliorū. Secundo, pro suffragio animabus. Tertio, in laudem dei. Et hanc facultaté spiritualem, si uera est, in suis diocesis habere Episcopos, firmiter credo. Aut si erro, reuocet me qui potest. Alioquin quomodo stabunt sine errore fraternitates illæ, in quibus sibi cōmunicant sua studia & opera, rā maiores quā minores prælati: Item monasteria & ordines, & hospitalia & parochiæ. Id enim non potest uerū intelligi, nisi qđ tali mō unius opus pro altero satisfacit, suffragat & glorificat deū.

Dico itaq;

Quantū ego prorsus nō intelligo, quō sint ista merita militantis Ecclesiæ in manu Papæ, tñ interim sic pie credā, donec suus Gordus hunc nodū dissoluat. Causa autē q̄re nō intelligā, est hæc

Prima, Si pro uiuentibus uiuentium offert opera, iam nō uideō, quomodo sit remissio gratuita, & nō potius uera & iusta satisfactio & persolutio usq; ad nouissimū quadrantem. Licet enim ille nō operetur cui sit remissio, alij tamen operantur & satisfaciunt. Tunc enim id fiet, quod omnes constater negant, scilicet quod concedens oneret se ad satisfactionem, uere enim Papa tunc non remitteret, sed satisfaceret, scilicet per sibi subiectos.

Secunda, quod sic clauēs Ecclesiæ nihil prorsus facerent, nisi quod iam de facto fit in Ecclesia, etiā sine clauibus. Nam ex lege charitatis quilibet pro quolibet tenetur orare. Et Apostolus ait,

DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

Tertia, quod nomē indulgentiæ huic sententiæ repugnat, quia debet illud indulgere, id est, remittere, ut non faciat quod debet non aut imponere alteri, uel impositum dicere, ut indulgentia prorsus extinguat debitū, non aut per aliū soluat. Quare uidet̄ potius sine isto thesauro, nuda sufficere potestas Clauium ad indulgentias, maxime cū remittatur tantūmodo Canonica, non aut Euangelica satisfactio. Aut iterum hic dicendū erit, ut supra de remissione culpæ dictū est, quod sic etiā remittat per hūc thesaurū pœnas, id est, declarat id fieri, quod etiā sine eo sit, scilicet, Ecclesiā pro eo satisfacere cui remittit̄. Quomodo B. Aug. dicit, Neminē suscitari, nisi quem suscitāt unitas Ecclesiæ, ut in uidua figuratū dicit. Sed adhuc durat ratio prima & secunda, quod sit tunc potius satisfactio q̄ remissio, siue declarē siue concedatur.

Quarta, Thesaurus ille Ecclesiæ militantis magis opatur gratiā spiritus, q̄ remissionē pœnarū. & uidetur satis uiliter tractari, si pro pœnarū remissione applicetur, cū remissio pœnarū sit uilissimū donū in Ecclesia, etiā impijs donabile, & sola clauis potesta

Dico secundo.

(te, ut uidetur.

Non intelligo, quomodo aut quid fiat, quando Papa eundē thesaurū applicat pro suffragio defunctorum. Causa hæc est,

Prima, Quia iterum non plus uidetur facere, q̄ quod de facto fit. Nam uniuersa Ecclesia de facto orat & suffragatur pro defunctis, nisi iterum hic putetur id facere declaratiue. Nec uideo quid illud obstat quod dicitur de Missa, quæ plus prodest si per sacerdotem uni applicetur, quam si sine applicatione pro omnibus celebret̄. Fateor id uetū a me credi. Sed Papa ut summus & generalis omnium sacerdos, certe nō potest nisi generaliter applicare, immo debet id facere, etiam sine literis ueniarum.

Secundo. Cum per indulgentias nō remittant̄ nisi pœnæ Canonice, prorsus nō possum intelligere, quid animabus remittatur, cū Canones eas nō ligent. Deniq; in morte sunt ab illis absolute, cum oīs sacerdos sit Papa in hora mortis. Item q̄d nulla anima patitur in purgatorio pro criminibus & mortalibus peccatis sed tm̄ pro uenialibus, ut dis. xxv. Qualis. Canones aut̄ uenialibus, imo mortalibus occultis nō sunt impositi, sed tantū criminibus cognitis, ut supra dictū. Dicat ergo qui potest, Quō indul

F. iij

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN

gentiæ suffragant illis, id est, remissiones Canonū, nisi non tantum indulgentias largiat, imo illis uelut in superabundantē caurelā datis (uel ut solent etiā mortui absolui in facie Ecclesiæ) simul inuoluat ultra indulgentias, applicationē meritorū Ecclesiæ. Et tūc certe indulgētiæ nō sunt suffragiū, sed cū suffragio tanq̄ altero dono, dant animabus, id est, declarantur dari, uel applicantē.

Dico tertio.

De thesauro meritorū Christi & sanctorū ad remissionē peccatorū applicato, dicā infra in sua Cond. lviij. Vides ergo q̄ sint oīa obscurissima, & dubiosissima, ideo piculosissima doceri. Id unū dico & uideo, qd Papa (in Cle. de pe. & re. c. Abusionibus) dānare uidetur hanc sententiā, de redimēdis animabus p̄ indulgentias, dū dicit, Animas de purgatorio, ut asserūt, mendaciter extrahūt. Vbi glossa, super uerbo, mendaciter, quia inquit, sunt iudicio dei reseruata. Et allegat ad hoc dist. xxv. c. Qualis. Et certe mihi uidetur recte sentire. Nam si per suffragiū redimātur, nō utiq̄ sequitur eas statim euolare, non est idem suffragari & redimere seu liberare. Itaq̄ ego hucusq̄ sapio, quod uideo indulgentias & suffragium meritorū Ecclesiæ esse duas res diuersissimas alterā sine altera, & cū altera dari potentem. Indulgentijs sufficit sola potestas clauium, sine addito illo thesauro, qui tamē potest addi, uel solus dari. Solus datus, facit participem bonorū, ut supra satis est dictū. Hæc si essent certa & uera, sequeretur, quod indulgentiæ, in quantū tales, prorsus nihil prodesse animabus, nisi quod coram Ecclesia absoluerent (id est, denunciarentur eas esse absolutas) Aut si prodesse, non id fieret uirtute ipsarū, sed alia adiuncta illis donatione, scilicet meritorū Ecclesiæ. Quæ donatio iterū distinguenda est a generali applicatiōe, qua Ecclesia de facto per illa suffragatur animabus, sine Papæ applicatione, & uidendū quid ipsa ualeat. Sed etiā alijs relinquendus est inquirendi labor, quibus est nondum fessum studiū in tantis dubijs.

Nunc obijciatur.

Primo, Celebre habetur, quod quidam magister Parthenijs tenuit in disputatiōe sua, Summū Pontificem habere potestatem in purgatorium, & Pontifex eo cognito & mortuo, dedit eam assertam remissionem, uelut commendans.

Respondeo.

DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

Me nihil mouet, quid placeat uel displiceat summo pontifici Homo est, sicut & ceteri, multi fuerunt summi Pontifices, quibus non solum errores & uitia, sed etiam portenta placuerunt. Ego audio Papam ut Papam, id est, ut in Canonibus loquitur, & secundum Canones loquitur, aut cum Concilio determinat non autem, quando secundum suum caput loquitur, ne forte cogar cum quibusdam, male Christum cognoscētibz, dicere, quod Iulij secundi horrendæ cædes in Christianum populum, fuerint quædam beneficia pii pastoris, in oues Christi collata.

Secundo, B. Bona, li. iij. dist. xx. Non esse resistendū importune, si quis asseruerit Papam habere potestatem in purgatorium. Respondeo primū. Autoritas, S. Bona. in re hac non sufficit.

Secundo, quando id asseruerit, non erit resistendū. Tertio, Bona. recte dicit, Quia addit, seipsum exponens, dummodo id constet per auctoritatem manifestam, aut dictamen rationabile. Sed illa nondum constat manifesta auctoritas.

Hic uero obijcitur.

Primo, Sixtus quartus determinasse dicitur, quod per suffragium ille modus nihil minuit plenitudinem indulgentiarum.

Respondeo.

Primum, Si quis pertinax esse uellet, diceret, Proba quod dicis optime pater, Maxime cum solius Papæ non sit nouos fidei statuere articulos, sed secundū statutos iudicare & descindere quæstiones fidei. Hic autē erit articulus nouus, ideo ad uniuersale cōsiliū pertinebit eius determinatio, multo magis quæ Conceptio, B. Virginis, Præsertim cū hic nullū, illic multū & magnū sit animarū periculū, Alioquin, Cum Papa sit unus homo, qui errare potest in fide & moribus, piculo affidue laboraret totius Ecclesiæ fides, si quicquid sibi uisum fuerit, necesse sit uerum credi.

Secundo, etiā si Papa cū magna pte Ecclesiæ, sic uel sic sentiret, nec etiā erraret, adhuc nō est peccatū aut hæresis, cōtrariū sentire præsertim in re nō necessaria ad salutē, donec fuerit p Conciliū uniuersale alterū reprobatū, alterum approbatū. Quod, ne multis agam, illo unico probatur, quod Ecclesia Romana etiam cum Concilio uniuersali Basilien. ac tota ferme Ecclesia sentit Beatā uirginē sine peccato conceptam. Et tamen, quia altera pars non est reprobata, non sunt hæretici, qui cōtrarium sapiunt.

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN

Tertio, Ego dico, mihi nondū uisam illam Sixti determinationē. Sed hæc mihi uisa est, quod indulgentiæ dantur defunctis per modum suffragij. Ex qua nondum sequitur, quod ideo animæ euolent, quibus ille modus datur.

Quarto, Non possum esse alieni uerbi, multominus Summi Pōtificis, interpres, Quare donec seipsum interpretetur interim opinemur, honoris gratia, defendendo dictum tale incognitū. Dupliciter potest id ipsum intelligi. Primo. Modus suffragij non minuit plenitudinem indulgentiæ, id est, licet indulgentiæ dentur ibi, non per modum indulgentiæ, sed per modum suffragij, tamē tali suffragio & intercessiōe nihilominus fit, ut euolent omnino, quibus fuerit impensus. Ac sic non soluendo, sed intercedendo euolant, Hanc non teneo, sed illi ita putant dictum.

Secundo. Modus suffragij non minuit plenitudinem indulgentiæ, id est, applicatio indulgentiarum per modum suffragij permittit eas esse, quod sunt, scilicet indulgentias plenas, nec tollit id, quod natura sua sunt, Solum, quod non agunt, ut indulgentiæ, sed ut suffragiū. Et hanc admitto & addo, Quod si non minuit aliquid, multo magis nihil auget indulgentias illa applicatio suffragatoria. Ex ijs sequit̄, quod non euolent animæ per illum modum. Et id sonant etiam uerba, Quia nō dicit, Modus ille suffragij plene redimit animas. Sed, nō minuit plenitudinē indulgentiæ, scilicet quod indulgentiæ licet plene, tamen tantū faciunt, quantum facere potest suffragium, nec amplius.

Iterum obijcitur.

Forma absolutiōis Apostolicæ dicit, Remittēdo tibi pœnas purgatorij, in quantum Clauis sanctæ matris Ecclesiæ se extendunt, Et hanc formam seruant pœnitentiarij Papæ, etiā in urbe.

Respondeo.

Primo, Ista sunt extra propositum, quia est forma absoluendi uiuorum & morientium, non autem forma applicandi indulgentias iam defunctis.

Secundo, Tamen quærendæ ueritatis causa, dico, quod cum sint dubia & obscure posita ista uerba, non potest errari in fide, si quis cōtra senserit, quā putantur intelligenda. Cur em̄ trepidat illa forma: cur uelut dubitans dicit, In quantum Clauis sese extendunt: Suspecta est mihi ista tremenda cauda, Non teneor firmis

DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

ter credere, quod ipse non audeat constanter pronuntiare. Cur hic solum & nusquam alibi adiungit, in quantum Claves se extendunt: An nondum uidemus quod uigil sit Christus in Ecclesia sua, ut etiam errare uolentes, non permittat errare: Si tamen nos ipsos, neglecto eius monitorio, non precipitemus in errorem.

Tertio dico, sicut prius, etiam si Papa cum suis poenitentiaris hic non erraret, non ideo sunt haeretici, qui negent eius sensum, aut non credant, donec fuerit Concilij uniuersalis iudicio alterutra partium definita uel reprobata. Sic enim, licet etiam indulgentijs ornarint festum Conceptionis, tanquam rem certam fidei, non tamen damnant, aut ligant eos, qui solutionem talium indulgentiarum non querunt. Ita quantumcumque donetur indulgentiarum, formam illam non est necesse credere esse ueram, donec statuatur Ecclesia. Et iterum uides, quanta sit necessitas legitimi & uniuersalis Concilij. Sed timeo, nostrum seculum non sit dignum donari nobis tale sed potius ut operationibus erroris illudamur, sicut meruimus.

CONCLUSIO XXVII.

Hominem praedicant, qui statim, ut iactus nummus in cistam tinnierit, euolare dicant animam.

HOMINEM praedicant, id est, uanitatem & mendacia, secundum illud, Omnis homo mendax. Et iterum, Vanitas, omnis homo uiuens, Atque ista positio, secundum meam sententiam, non eget probatione. Probatur tamen per sequentem Conclusionem. Quia arbitrio dei, & merito animae ualet suffragium Ecclesiae. Ideo etiam si illorum esset uera sententia, quod per modum suffragij profunt, Non sequitur quod statim euolent.

Primo, non suffragium, sed exauditio suffragij, eiusque susceptio liberat. Cum non orante ecclesia, sed operante deo liberentur.

Secundo, Natura deus sic agit, ut cito exaudiat, tardet autem dare ut patet in omnium sanctorum orationibus, & doctrinis, ut probet pseuerantiam. Ideo longe distat suffragium, exauditio, executioque eiusdem.

Tertio, Quod hoc ipsum noue dicit, sine autoritate ulla contra prohibitionem Canonis, ne quid ultra quam in litteris continetur, dicat. Non ergo dei & Ecclesiae. i. uera, sed sua propria. i. mendacia loquuntur.

Quinto, Non differunt ille, qui loquitur falsum scienter, & ille, qui asserit certum, quod nescit esse certum. Sic enim & uerum